

*A. E. Nordenström*  
Köpt: Verona 1888  
45 fr.



Handwritten text, possibly a signature or name, located in the lower-left quadrant of the page. The text is mirrored and appears to be bleed-through from the reverse side of the paper.

ILLVSTRISSIMIS  
CLEMENTISS. q̄; PRINCIPIBVS,  
VVILHELMO  
ET

IOANNIVVILHELMO,  
DVCIBVS IVLIACENSIBVS, CLI-  
VENSIBVS & MONTENSIBVS,  
COM. MARCHIÆ & RAVENSPVR-  
GI, DOMINIS IN  
RAVENSTEIN, &c.

PATRI & FILIO  
DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS  
GRATITVDINIS  
ERGO

GERARDVS MERCATOR  
RVPELMVNDANVS,  
IN PERPETVAM MEMORIAM  
DEDICAT CONSECRAT q̄;



### In Effigiem carmen.

**G**erardus Mercator erat sic cognitus orbi,  
 Duysburgi raperet cum fera parca virū.  
 Ottonos decies, binosq; exegerat annos,  
 Et menses octo, tresq; nouemq; dies.  
 Doctus erat verè, pius, integer, omnibus equus,  
 Ingenio dexter, dexter & ipse manu.  
 Sidera cum terris coniunxit, sacra prophanis  
 Addidit, at rectè fecit utrumq; tamen.  
 Astra Mathematicus radio descripsit acuto,  
 Et dedit in paruo conspicienda globo.  
 In tabulas terre spaciosum contulit orbem,  
 Inq; globo mundi regna videnda dedit.

Et ne quid cali studijs, terraq; deesset,  
 Historiam docuit tempora certa loqui.  
 Sacraq; detexit vatum mysteria, Christi  
 Praecones iussit quattuor ire simul.  
 Atq; ea sic fecit superos ut vinceret omnes  
 Artifices, proprio Marte, manuq; sua.  
 Felix prole sua, natisq; nepotibus ex se,  
 Spem grata certam posteritatis habet.  
 At quod Christe tuum seclatus ouile, beatus  
 Perpetuo tecum vascula leta capit.  
 Et quamuis placuisse Duci non infima laus sit,  
 Attamen est maior laus placuisse Deo.

Benevolentiae ergo Bernardus Furmerius Leouardiensis  
 Licentiatus Iuris, mæstus scribebat.

V I T A  
 CELEBERRIMI CLARISSIMIq; VIRI  
 Gerardi Mercatoris Rupelmundani,

*à Domino Gualtero Ghymio, Patricio Teutoburgensi, ac eiusdem oppidi  
 antiquissimi Pratore dignissimo, conscripta.*



Gerardus Mercator Illustrissimi Principis Iuliz, Cliuia, Montis, &c. Cosmographus lon-  
 gè exercitatissimus, æditus est in lucem anno millesimo quingentesimo duodecimo,  
 quinta Martij, sub auroram, hora sexta, à parentibus Iuliacensibus videlicet Huberto  
 Mercatore, & Emerentiana eiusdem vxore, Rupelmundæ in finibus Comitatus Flan-  
 driæ, apud illius patrum Gysbertum Mercatorem eiusdem oppidi pastorem vigilan-  
 tissimum commorantibus. Cumq; pueritiam egressus esset, primaq; rudimenta latinæ linguæ in  
 patria vtcunq; didicisset, missus fuit à prædicto suo patruo Buscoducum, vt ibidem in domo fratru  
 Grammaticæ studiū absolueret & initia dialecticæ addiceret, deditq; hisce literis operam sub Ge-  
 orgio Macropedio, sumptibus & impensis superioris pastoris, annis (ni fallor) tribus cum dimidio.  
 Hinc ablegatus est ab eodem ad celeberrimam academiam Louaniensem, ibiq; in collegio Porci in  
 conuictu constitutus, artibus humanioribus tantisper operam accommodauit, donec Magisterij  
 gradum adeptus esset: post promotionem annos aliquot, cum singulari quadam animi delectatio-  
 ne, in studijs philosophicis sese exercuit priuatim, cæterum cum hoc studij genus, ad alendam fa-  
 miliam, impar illi in posterum videretur, sumptusq; grauiore in prosequendo exigeret, priusquã  
 huiusmodi fastigium consequi posset, vt inde amplum lucellum sibi, suisq; polliceri potuisset: de-  
 ferta igitur studio philosophico, animum ad Mathesin adiecit. Hisce disciplinis tam diligentem  
 laborem impendit, vt intra paucissimos annos illius rudimenta, apud quosdam studiosos priuatim  
 profiteretur, instrumentaq; mathematica, videlicet, Sphæras, Astrolabia, annulos astronomicos,  
 & eiusdem generis alia, ex ære paulatim fabricaret & conficeret. Anno ætatis suæ vigesimo quarto  
 à natiuitate vero nostri redemptoris Christi, supra millesimum quingentesimum, trigesimo sexto,  
 initio septembris, Vxorem ibidem duxit, Ciuem Louaniensem, nomine Barbaram Schelleken,  
 quæ illi succedentibus annis sex proles, videlicet tres filios totidemq; filias peperit. Mercatore au-  
 tem animaduertente quod tam fœlicem progressum in artibus Mathematicis faceret, vt ingenij sui  
 vires magis excoleret, cepit ad sculpendas tabulas animum applicare, vtq; ea in re exercitatio fieret,  
 initium huius laboris sumpsit, & exorsus est Louanij à descriptione terræ sanctæ, quam deinde  
 multorum cum admiratione anno Domini trigesimo septimo absoluit, & in publicum prodire  
 curauit. Has suas (tabularum geographicarum) primitias Ornâtissimo viro Francisco Craniueldio,  
 Inuictissimi Imp. Caroli Quinti Consiliario, inscripsit. Præceptorem in superioribus disciplinis  
 neminem (vt mihi sæpius retulit) habuit, sed solummodo priuata instructione, celeberrimi quon-  
 dam Doctoris Gemmæ Frisij (qui tum temporis, inter eximios Mathematicarum disciplinarum  
 cultores, in vniuersa inferiori Germania facile habebatur) vsus, magna animi alacritate) Merca-  
 toribus quibusdam vrgentibus) Flandriæ descriptionem meditatus & aggressus est, breuiq; tempo-  
 ris interuallo ibidem expediuit. Absoluta Flandria libellum de literarum latinarum (quas Italicas  
 cursoriaq; vocant) scribendarum ratione, anno 1541 Antvverpiæ euulgauit. Cumq; tirocinium  
 suarum artium passim à doctis viris commendari intelligeret, mox alterum opus, videlicet globi  
 terrestris sculpturam, suscepit atque inchoauit, vnusque aut alterius anni curriculo, videlicet an-  
 no quadragesimo primo prædicto, hanc operam fœlicibus auibus absoluit, & amplissimo grauiissi-  
 moq; viro Domino Nicolao Perenotto Domino a Granuella prædicti Cæs. Caroli Quinti, secreti  
 consilij Consiliario longè dignissimo dedicauit. Interea temporis ex huius clarissimi viri commet-  
 datione peruenit in notitiam prænuncupati Imperatoris, fœlicissimæ recordationis Caroli Quinti,  
 illiusq; Maiestati, quam plurima instrumenta mathematica artificiosissime fabricauit parauitq; que,  
 que in bello Saxonico, non procul ab Engelstadio in Ducatu Bauariæ, in horreo quodam (vt illi Im-  
 perator post reditum ex Germania Bruxellis retulerat) igne ab hostibus clam succenso, liquefacta &  
 consumpta fuerant, quapropter iussit sibi per Mercatorem confici noua. Interiecto decennij inter-  
 uallo, alterum globum, quo cœli planetarum ac cœlestium signorum constitutionem complexus  
 est, in publicum emisit, & Reuerendissimo ac Illustrissimo Domino Georgio ab Austria, Episcopo  
 Leodiensi &c. anno quinquagesimo primo Louanij inscripsit. Eodem quoq; tempore conscripsit  
 libellum de vsu globi ad Carolum Quintum Imp. item de vsu annuli astronomici tractatum.  
 Anno sequenti videlicet quinquagesimo secundo Louanio ex Ducatu Brabantia, huc Duysburgū  
 in Cliuia, cum superiore charissima vxore, & suauissimis liberis commigravit, habitatumq; ve-  
 nit. Cumq; sedem hic apud nos in nostra vicinia fixisset, paulo post iussu eiusdem Imperatoris, duos  
 exiguos globulos, vnum ex purissimo Cristallo constari: alterum ex ligno confici curauit: in illo  
 planetarum sydera, cum præcipuis signis cœlestibus, adamante incisa, auroq; illuminata, & induc-  
 ta erant: hic orbis terrarum descriptionem (quantum orbiculi angustia ferebat, quæ globi magni-  
 tudinem, quo pueri in circulo ludunt non excedebat) exactissimam continebat, quos ipsemet cum



alijs

alijs quibusdam mathematicis instrumentis, Impetatori prænominato Bruxellis obtulit. Priusquã autem Louanio discederet, auspiciatus erat Europæ descriptionem, tabulasq; tres vel quatuor ibidẽ perfecerat, cæteras (allatis secum æneis tabulis) cum hic habitatum veniret, biennij spacio scilicet quinquagesimo quarto anno, mense Octobri absoluit & euulgauit, atq; Attrebatensium præfuli reuerendissimo domino, Domino Antonio Perenotto Imp. Maiestatis Consiliario primario, Nicolai (cuius superius mentionem honorificam fecimus) filio, opus dedicauit, huius heroici animi magnificentiam, & insignem liberalitatem in honorario, quod illius amplitudo, pro inscriptione prædictarum tabularum illi contulit, re ipsa expertus est. Eandem hanc Europam hic Duysburgi commendauit anno 1572. Mense Martio. Quod opus tantis laudibus à doctissimis quibusq; viris passim effertur, vt vix simile in Geographia, in lucem vnq; prodijisse videatur. Rebus suis hoc modo constitutis, oblata est illi ex Anglia, à singulari quodam amico, Britannicarum insularum descriptio, magna diligentia, summaq; fide congesta, rogans vt tabulis æneis incideretur, quod amico suo denegare non potuit, & tam absoluto, doctorumq; hominum conspectu, digno operi, manum subducere iniquum putauit; hanc igitur prouinciam suscipiens, anno sexagesimo quarto prælo commisit, Eisdem fere temporibus Ducatum Lotharingiæ, Duce illius veniam à nostro Principe illi impetrante, oppidatim ac per singulos pagos accuratissimè per stationes dimensum, post reditum calamo exacte descripsit, suæq; celsitudini Nancei obtulit, quæ profectio cum tanto vitæ discrimine coniuncta fuit, adeoq; vires illius debilitauit, vt parum abfuerit quin ex terrore grauissimum morbum sibi conciliasset & animi perturbationem incidisset. Quadriennio interposito videlicet, sexagesimo octauo suam Chronologiam (cuius infra latiore mentionem faciemus) in publicum prodire (typographo cum amicis vrgentibus) passus est. Breuissimo temporis curriculo intercedente, nouum opus, scilicet vniuersi orbis exactissimam descriptionem, in amplissima forma intuentium doctorum hominum, ac peregrinantium, & nauigantium oculis, conspectuiq; exhibuit, atq; proposuit, (inuentione noua & conuenientissima spheram in plano extendendo, quæ sic quadraturæ circuli respondet vt nihil deesse videatur, præterquam quod demonstratione careat, vt ex illius ore aliquoties audiui,) nulliusq; alterius in tam vasto opere, vsus est subsidio vel ope, sed propria manu, quicquid in tabula conspicitur sculpsit, lyngo solummodo excepto: (Deoq; illius labores, ac conatus fortunante anno sexagesimo nono, mense Augusto, augustissimo operi, finem hic Duysburgi imposuit, ac Illustrissimo Principi Guilhelmo Duci Cluiæ &c. Clementissimo Domino suo inscribere æquissimum esse putauit indicauitq;. Absolutis prædictis tabulis, animum ad instaurandas & à mendis repurgandas, Claudij Ptolomæi (qui sub Antonio Pio Imperatore floruit) olim æditas tabulas, adiecit, veteremq; Geographiam ad mentem autoris tanta diligentia restituit, ac emendauit, vt hoc nomine eximiam commendationem optimo iure, à liberalium artium, ac mathematicarum disciplinarum cultoribus promeruerit: Huic labori operiq; colophonem addidit atq; imposuit, anno septuagesimo octauo, mense februario, dedicauitq; Illustrissimo ac Clementissimo Principi nostro pijsimè memoriæ, bonorū studiorū, mecenati præstantissimo. Ad hæc tamen longè ante Abrahamum Ortelium, ideas quasdam mente concepisset, de edendis alijs tabulis generalibus ac particularibus totiusq; mundi situm, in minorem formam redigere animum induxisset, & quodammodo exemplaria aliquot in bono numero, calamo depinxisset ac pro debita proportione, locorum distantias dimensus esset, ita vt nihil amplius restaret, quam vt æneis tabulis inciderentur. Quandoquidem tamen prædictus Ortelius singulari amicitia, ac familiaritate illi iunctus esset, distulit igitur de industria, eatenus & tantisper inchoatum laborem, donec exemplaria sui orbis, Theatro in copiosissimo numero, cum magno facultatum ac fortunarum suarum incremento, vendidisset, priusquam suas prædictas minores tabulas in lucem emitteret. Ne autem diutius multorum doctorum virorum expectationem vana spe fraudaret, res suas ita composuit, ac instituit, vt anno octuagesimo quinto vniuersæ Galliæ & Germaniæ tabulas, mense Augusto hic Duysburgi imprimi curauerit, & Generosissimo ac Serenissimo Principi Iohanni V Vilhelmo, præfenti Duci nostro clementissimo inscriberet, & dedicauerit. Hisce peractis Italiæ generalem ac particulares tabulas æri inculpare aggressus est, prosperoq; successu, anno nonagesimo mense Aprili, easdem absoluit, & Potentissimo ac Serenissimo Ferdinando Medici Duci Etruriæ dedicauit. Paulo post, ex ordine Septentrionalium prouinciarum descriptionem exorsus erat, & non contemnendum progressum in iisdem fecerat; cæterum fata illi huius operis absolutionem ac euulgationis commodum inuidebant: illius heredes vero (vt Lector in sequenti opusculo vides) intuentium oculis easdem exhibent. Chronologiam quoq; prædictam plurimum auxit antiquitatibus & demonstrationibus; item libellum de arte geographia conscripsit quæ illius heredes propediem se in lucem emissuros sperant. Quod si illi Deus vitam longiorem atq; valetudinem concessisset, decreuerat partes Occidentales videlicet Hispaniam cum Portugalia in minores tabularum formas quoq; redigere, præloq; committere. Aliaq; quam plurima se in Geographia præstiturum esse, animo quidem conceperat, cæterum euentus, vt dixi votis defuit, successumq; feliciorem denegauit. Quæ hæcenus dicta sunt in illius insignis, atq; eximij viri laudem, ac commendationem, hæc in Geographicis ac Mathematicis disciplinis præstitit. Perueniamus nunc ad illius vtilem operã, quam theologiæ studiosis nauigauit. Priusquam præfentis (in inferiori Germania) belli, turbulentissima tempora, exorta essent, conscriberet Harmoniam Euangelicam quã ita comparauit, vt quilibet lector contextum vniuscuiusq; Euangelistæ legere commode queat, pro illa serie atq; ordine quoquisq; Euangelium conscripsit: sin vero aliquem delectaret ex quatuor euangelistis continuam historiam Euangelicam cognoscere, illi libellum esset, vna eademq; lectione votis suis satisfacere, cuius editionem a Theologis magni nominis auide

VITA AVTHORIS.

audire desiderari atque commendari meis auditi auribus, pauloque ante nundinas autumnales anni 1592 prædictum opus in lucem prodire curavit, amplissimo ac grauiſſimo viro Domino Henrico à VVeze Cliuiae Cancellario digniſſimo. Conſcripſit præterea commentaria in epiſtolam ad Romanos, in quibus luculenter admodum ac ſolidè controuerſias quaſdam noſtri ſæculi, de Præſcientia ac Prædeſtinatione Dei, de libero itè arbitrio, magna ingenij dexteritate diluere, & pro virili componere conatur. Item in Ezechielis aliquot capita, in Apocalypſim & alia plura: quod ſi contingat (quod paulatim futurum ſpero) vt in publicum prodeant, non eſt dubium quin illius boni viri, impenſa opera, piusque conatus, quam plurimis doctis viris optimè probabitur.

Quam bene quoque Mercator de Hiſtoriarum candidatis ac ſtudioſis meritis ſit, illius Chronologia quam anno ſexageſimo typis commiſit, abundè ſatis teſtatum facit, quam clariffimo longeque celeberrimo viro domino Henrico Oliuero, Cliuiae Cancellario honorifico inſcripſit. Quod opus paſſim per Italiam atque Germaniam doctiſſimis quibusque viris, adeo uſque placuit, tantæque admirationi fuit, vt Onuphrus Panuinus Veronenſis Italus, antiquitatum indagator & excultor præclariffimus, & eximius (vt de aliorum vndequaue doctiſſimorum virorum, magnificis de ſuperiori ſcripto teſtimonijs taceam) Mercatorem noſtrum omnibus alijs exercitatiſſimis Mathematicis, & antiquitatum cultoribus multis nominibus præferre non ſit veritus. Cuius teſtimonium, vt lectori magis compertum ſit, non abs re facturum me putauit, ſi prædicti auctoris ipſiſſima verba, quæ ex epiſtola quadam (quam Onuphrus ad amicum ſuum Iohannem Metellum, virum ſummæ eruditionis, maximèque iudicij conſcripſit) extraximus, hic referamus, quæ ſic habent.

Sed hoc ego palam de Mercatore libereque profiteor, ex omnibus quos hætenus in hoc ſtudiorum genere mihi videre licuit, vniuerſos autem qui extant legi, neminem exiſtere cui ego iure ſane Mercatorem tuum, ſiue res ſpectes & ordinem, ſiue iudicium & induſtriam intuearis: ſiue motuum cœleſtium (quantum ad hoc attinet) animaduerſionem conſideres, longè non præferam. Quapropter à te pro amicitia noſtræ ſacra pèto, vt eum tu mihi propter cœmuniã temporum ſaltem ſtudia, familiarem dum eum conuenies vel ad eum ſcribas, vltro reddas.

Quis adhæc immenſum illius laborem quæ a multis annis (oblata inter legèdum rerum oportunitate) in extrahendis, annotandis, atque in ordinem redigendis genealogijs, Illuſtriſſimorum heroum ac celeberrimarum familiarum (quæ a condito mundo paſſim floruerunt, atque pro præſenti rerum ſtatu per Europam vigent) conſumpſit ac impendit, ſatis dignis laudibus, atque nominibus celebrare ac commendare poterit? Quas proculdubio oblata oportunitate prælo commiſſurus fuiſſet, quod ſi diuturnior ætas diuinitus illi conceſſa eſſet. Quodque poſtremo decreuerit ac propoſuerit, & quodammodo delineauerit plura opuscula poſteritati (monumenti loco) poſt obitum relinquere, illius epiſtola dedicatoria, quam tabulis Gallia & Germania præfixit aperte indicat, cuius hic eſt tenor: exigebat operis diſtributio & ordo, vt primum de mundi fabrica & diſtributione partium in vniuerſum: deinde cœleſtium corporum ordine & motu: tertio de eorundem natura, radiatione & operantium conſlexu, ad veriorem Astrologiam inquirendam: Quarto de Elementis: Quinto de regnorum, & totius terræ deſcriptione: Sexto de Principum à condito mundo genealogijs, ad emigrationes gentium, & primas terrarum habitationes, rerumque iuuentarum tempora, & antiquitates indagandas tractarem. Hic enim rerum naturalis eſt ordo, qui cauſas & origines earundem facile commonſtrat & ad veram ſcientiam ſapientiamque optimus dux eſt &c. hætenus ille. Huic operi titulum impoſuit: Atlas ſiue cosmographicæ ſpeculationis libri quinq; In primo deſcripſit opificium ac fabricam mundi, quem etiam durante paralyſi ſiniſtri brachij, pro fallendo tempore abſoluit: eundemque partum præ cæteris tota vita (ipſo teſte) parturiuit. In ſecundo Astronomicam proſequi inceperat, ſed non finiuit: in tertio, Astrologica explicaturus erat. In quarto de creatione elementorum, de motu ſolis & lunæ, item de ſitu & ordine planetarum, tractatum meditabatur. Quintum Geographiæ totius terrarum orbis deſtinauerat, ſi illi vitæ ſpatium conceſſum fuiſſet. Sed in hoc poſtremo opere longè alio ordine, quam vnquam hætenus ab aliquo attentatū aut facturatum eſt, orbem in tres æquales continentes diuidere decreuerat, quarum vnã Aſiam, Africam & Europam conſtituiſſet: alteram Indiam Occidentalem, cū omnibus regnis & prouincijs illi contiguis: tertiam vero etſi adhuc latentem, & incognitam eſſe non ignorauerit, ſolidis tamen rationibus atque argumentis demonſtrare ac euincere ſe poſſe affirmabat, illam in ſua proportione geometrica, magnitudine & pondere ac grauitate, ex duabus reliquis nulli cedere aut inferiorem vel minorem eſſe poſſe, alioquin mundi conſtitutionem in ſuo centro non poſſe conſiſtere, hæc Australis continens à ſcriptoribus appellatur. Hætenus de illius in lucem emiſſis atque emittendis elucubrationibus diſſerimus, explicauimusque: reſtat nunc vt pauca quædam, de illius placidis moribus honeſtiſſimoque vitæ genere, in eximij viri laudem ac commendationem dicamus. Fuit homo ſeditiſſimi ingenij, ſingulari animi candore, ac ſinceritate præditus, pacis ac tranquillitatis publicæ & priuatæ amantiſſimus, adeo uſque vt à quadraginta duobus annis, quibus hic Duyſburgi cum ſua familia habitauit, cum nemine ex ciuibus verbum commutauerit, aut cuiquam controuerſiam mouerit, vel ab alijs in ius vocatus fuerit. Magiſtratui detulit honorem & obſeruantiam quam debuit: cum vicinis vbicunque habitaret, ſemper illi optime conuenit nemini aduerſus fuiſſet, aliorum ſtudijs (quatenus decuit) obſecutus eſt, nullique ſe prætulit. Vxorem habuit caſtiſſimis moribus ornatam, morigeram curæ domesticæ bene inſtructam ſuæque vitæ generi conuenientem quæ anno 86. Auguſti 24 ex hac vita migravit: proles obſequentiſſimas, bonaque indole præditas; filios ſuos à tene-



V I T A

ris annis Iohanni Othoni, deinde genero suo Molano in liberalibus artibus instituendos commisit. Natuque maiorem nomine Arnoldum (qui anno trigesimo septimo vltima Augusti, huius vite pelagus Louanij ingressus erat) simulatque humanioribus literis utcumque imbutus esset, statim in Mathematicis disciplinis illum instituit atque exercuit. In eisdemque intra paucos annos adeo usque profecit, ut in fabricandis exacte, ornateque iustrumentis mathematicis, quae summis Germaniae aliquibus magnatibus apparauit, vix parem habuerit: In Geographia & Chorographia autem, si quis alius, exercitatissimus fuit, Archiepiscopatus enim Treuirensis & Cattimœlibocensis comitatus dimensiones diuerso tempore (petentibus id Reuerendissimis & Illustrissimis Principibus Electore & Guilielmo Landtgrauio, illiusque operam insigni honorario remunerantibus) aggressus breui absoluit, accuratissimeque non sine laude calamo exarauit ac descripsit: Urbis quoque Coloniensis situm chorographicum per pedes dimensum tabulisque aeneis pulcherrime incisum, adiunctis quae in illis etiamnum a Romanorum temporibus antiquitates conspiciuntur in lucem edidit. Postremo Hassiae regionem amplissimam ex voluntate praedicti Landtgrauij anno octuagesimo sexto dimetiri cum exorsus esset morte praeventus eam uti instituerat absoluere nequiuit, quapropter filius eius natu maximus Iohannes postea prouinciam hanc suscipiens, tandem exactissime describendo absoluit, qui & cum fratre suo Gerharo plerasque Ptolomei, huiusque noui Geographici operis tabulas Aui sui eri insculperunt: Praedictus Arnoldus in uxorem duxerat Dusseldorpij doctissimi viri Iohannis Monhemij Rectoris ibidem scholae publicae longè dignissimi filiam Elizabetam, quae illi fecunda decem partibus tredecim proles videlicet nouem filios cum quatuor filiabus peperit, filiorum duo Gerhardus iam dictus cum fratre suo Michaeli in Geographiae studio praecleara ingeniorum suorum specimina adiderunt dum trium vastissimarum orbis terrae partium videlicet Africae, Asiae & Americae descriptionem, in tam angustam formam redigerunt ut vniuscuiusque earum situm ac pro Geometrica proportione magnitudinem, in spatio vnius folij chartae complexi sint, hominumque conspectui proposuerint. Deus Optimus Maximus illorum labores, laudibilesque conatus prosperet beneque fortunet. Vir fuit pro aetate acutissimi ingenij, bonique in Mathematicis artibus iudicij, quae mirum in modum auxit quotidiana rerum experientia. Quod si superis annuentibus ad maturam aetatem peruenisset, euasurus erat in insignem architectum publicarum structurarum. Praeterquam enim quod quicquid librorum in hisce artibus alibi extaret sibi comparauerat diligenterque euolutus erat, habuit quoque accuratam admodum (in ciuitatibus & munitissimis quibusque principum arcibus delineandis, quas illi inspicere licuit, quibus & Theatrum urbium, suppresso tamen nomine non parum auxit) publicarum operum, videlicet propugnaculorum, fossarum, moenium, vallorumque rationem, ita ut facile in hac arte suam operam cum laude viris principibus, vel rerum publicarum gubernatoribus offerre atque elocare illi licuisset; ceterum prohi dolor in flore aetatis immatura morte pleuritide ex hac vita, anno octuagesimo septimo sexta Iulij, sublatus est: Praedicta illius uxor quadriennio interposito, videlicet anno nonagesimo primo decima septima Augusti maritum sequuta, naturae debitum exoluit. Secundus ex filijs Bartholomeus dictus Heidelbergae in Palatinatu in collegio sapientiae, studijs philosophicis, linguarum graecae & haebraicae cognitioni operam ibidem dedit. Hic anno 63 conscripsit libellum de Sphaera Domino Henrico Barsio dedicatum, cumque adolescens optime spei viginti octo annorum esset morbo correptus, obiit anno sexagesimo octauo. Natu minimus Rumulus nuncupatus haeredibus Birckmanni aliquot annis cohabitauit, primo Londini deinde Antverpiae & in distrahendis libris sese exercuit: Interea temporis Geographiae quoque studium coluit, ita ut domum reuersus, Patri suo quem iam multis & grauibus studijs occupatum ostendi, in delineandis tabulis Geographicis adiumento fuerit. Patris sui vniuersalis orbis terrae & Europae descriptiones in compendium redegit, ac totius Germaniae delineationem in magna forma, patriae studiosis edidit, & Illustrissimo Guilielmo Hassiae Landgrauio &c. dedicauit: Sperandum est ex hac pharetra plures huiusmodi sagittas euolaturas. Filias suas intra priuatas parietes in omni pietate ac timore domini educavit ac instituit, natuque maximam nomine Emerentianam Iohanni Molano cuius superius meminimus, cum hic Rectorem ageret, elocauit. In ordine filiatum proximam nomine Dorotheam, primo mercatori Antverpiensi Alardo Six, cui duas filiolas protulit, post illius obitum ciui Vvesaliensi Tilmanno de Neufuille in uxorem dedit: Postremam Catharinam Theodoro Verhaer Ludimagistro, matrimonio iungi procurauit. Ab illo tempore quo noster Gerardus Mercator hic habitatum venit, pro mutua familiaritate atque vicinitate frequenter illum conueni, nunquam vero otio, vel tantillum temporis indulgentem repperi, sed vel historiographum aliquem, aut alium grauem autorem (quorum instructissimam bibliothecam domi habebat) euoluentem aut scribentem, vel sculptentem, aut arduis meditationibus indulgentem, occupatum & intentum offendi. cibi potusque, tametsi semper esset parcissimus, culinam tamen habuit luculentam, rebusque necessarijs ad honeste viuendum bene instructam, valetudinis suae conseruandae gratia, curam gessit accuratissimam: sin vero in morbum aliquem inciderit, statim Doctoris Solinandri, illius integerrimi amici opera usus est. In pauperes tenuiorisque fortunae homines, beneficus semper fuit, hospitalitatisque cultor ac conseruator extitit, quo ad viueret. Quotiescunque a senatu ad publica solemnia conuiuia, vel ab amicis ad priuata euocaretur, aut ipse alios inuitaret, hilarem & facetum sese exhibuit, praebuitque, & aliorum moribus se accommodauit, quantum corpusculi constitutio ac pietatis ratio ferebat. In familiari conuersatione, & colloquio facilem & iucundum se praestitit, & si quandoque



A V T H O R I S

quandoq; in viros doctos incidere, nihil illi accidere potuit gratius, quam amicè ac familiariter, de communibus philosophicis, phisicis vel mathematicis studijs: de conseruanda bona valetudine, tuendaq; fanitate: componendis in religione controuerfijs: de clarissimorum virorum rebus gestis, regionum situ, ac cœli constitutione, item de peregrinarum gentium moribus, legibus & statutis conferre. Cum Domino Iohanne Euvichio, Ambrosio Mauro, Iohanne Orhone alijsq; doctis viris hic commorantibus amicitiam conseruauit arctissimam. Ioannem Molanum doctissimum virum, & insignem poëtam, adeovsq; in amore eximium habuit, vt illi filiam natu maximam in vxorem daret. Colonia cum multis quoque doctis viris illi notitia atque familiaritas intercessit, inter quos Doctor Albada Frisius, Iohannes Metellus, ac Petrus Ximenius, non postremum locum occuparunt. Sed quid de exiguo ciuiliū amicorum numero, quorum quotidiana familiaritate hic mecum fruebatur, verba facio, cum apud viros principes, & potissimum Illustrissimum ac Generosissimum defunctum nostrum (foelicissimæ recordationis) principem: Comitem Hermannum Nuenarium aliosq; comites, barones ac viros nobiles, in tali reputatione atque existimatione extiterit, vt cum illo familiaritatem coluerint atque conseruauerint. In illius Celsitudinis amplissimo consiliarium ordine ac Medicorum celeberrima corona quoque, vix quisquam (ab anno quinquagesimo secundo quo intra ambitum huius ciuitatis se continuit sedemq; fixit) fuit, qui nostrum Mercatorem non ex animo amauerit, magniq; vt æquum est semper fecerit. Neque solummodo in hisce vicinis regionibus, Anglia, Dania, Gallia, inferiori & superiori Germania, Italia &c. tot tamque illustribus & præclaris amicis munitus fuit, sed vbique terrarum, celeberrimi viri in copioso numero reperti sunt, qui scriptis ad illum familiaribus literis, cum illo amicitiam contrahere, mutuam amicitiam colere, tueri ac conseruare conati fuerunt; Illiusq; celeberrima fama adeo vsque creuit, diuulgata & passim sparsa est, vt etiã ad remotissimos Indos peruenerit, ac cum Doctissimo viro Philippo Sassetto in Goa, Orientalis Indiæ ciuitate notissima commorante, mutuis literis concertauerit: huiusmodi ac similium epistolarum non exiguus fasciculus apud illius heredes, in promptu reperitur. In disputationibus fuit acutissimi ingenij & exercitatissimus: in laboribus suæ professionis indefatigabilis: in rebus prosperis & secundis, moderatum, in aduersis patientissimum sese præstitit exhibuitq; Corpore fuit sic satis benè constituto, bonaq; valetudine plerumque vsus est, præterquam quod in senili ætate aliquando podagra laboraret. Cum priore obi vxore in statu coniugij quinquaginta annis, & tribus septimanis vixit, Mensibus aliquot, post huius tum, duxit in vxorem viduam Ambrosij Moer consulis huius ciuitatis dum viuëret. Anno nonagesimo quinta Maij paralyti sinistri lateris correptus est, cui morbo D. Solinander celeberrimus longè que exercitatissimus Illustrissimi nostri Principis Medicus pro virili mederi, & consulere conatus quidem fuit, cæterum ingrauescentis ætatis incommoda, successum foeliciorē impediuerunt. Cumque illi linguæ vsus integrè restitutus esset, vidi illum lachrimantem, pectusq; suum ter quaterque pugno tundentem, atque dicentem: percutite, vre, seca seruum tuum domine, & si non satis acriter percussisti, percutite fortius, acriusq; pro beneplacito tuo, vt in futura vita mihi parcas &c. Tametsi vero eatenus paulatim pristina valetudini (adhibitis ex præscripto superioris medici, diuersis remediorum generibus) restitutus sit, vt more solito placide nocturno tempore quiesceret, bonoque cum appetitu, cibum facilioris digestionis sumeret, viniq; aut cereuisiæ mediocri haustu vires reficeret, sinistri nihilominus tamen cruris ac brachij potentiam (quamuis quotidianis in vnctionibus illius nurus summa cum diligentia prædicta membra, ad vnus fere horæ spatium mane ac vesperi, præstantissimis vnguentis vbi opus erit affricaret) recuperare non potuit. Quapropter sibi de cella prospexit, qua a familia, ex cubiculo vbi decumbebat, ad hypocaustum, aut culinam pro illius placito portaretur. Præsentem autem constitutionem non obstante vel prohibente, studiorum suorum cursum, in suo antiquo vigore pro virium suarum exiguo modulo obseruauit, paululumque temporis sibi elabi passus est, quin aut lectioni grauissimorum autorum intentus esset aut aliquid conscriberet, aut saltem in meditationibus rerum maximi momenti illius animus occupatus esset, nihilq; magis indigne tulit, quam quod durante morbo tantam pretiosissimi temporis iacturam fecisset. Sæpissimeque non sine ingenti animi dolore conquestus est, quod imbecillitate corporis impeditus, opuscula aliquot, quæ mente (vt superius memini) conceperat, ac præ manibus quodammodo habebat, absoluturus non esset, quod, pro dolor, ita euenit, vt illi animus sæpenumero dictauerat. Quamobrem iustissima doloris causa omnibus studiosis, præsertim autem Mathematicarum disciplinarum candidatis offertur, cur illius celeberrimi viri inopinatum obitum, pro humana fragilitate egerrimè ferant. Elapso triennij curriculo, in maximum capitis defluxum incidit, qui ita fauces cum illius gutture ita obstruxit vt linguæ vsus aliquandiu amitteret maximaque cum difficultate si quid esculenti, aut poculenti illi offerretur, deglutire posset quæ vero ægritudo sese paulatim non nihil remisit. Ingruente autem læthali morbi necessitate, pridie illius diei quo ex hac vita emigraret, coram concionatore & vicinis, de ingenti dolore omnium membrorum conquestus, Omnipotentis Dei misericordiam cum summa animi fiducia, iterato aliquoties sermone implorauit, eodemque quo moreretur die, eundem vt pro se publicæ præces finita concione celebrarentur, obnixè postulauit, quæ postrema illius vox fuit quæ a circumstantibus intelligi potuit, placidissimèque paulo post vndecimam ante meridiem, postridie calendarum Decembris, cum vixisset annos octoginta duos, hebdomadas triginta septem horas sex, & vidisset pronepotes, in domino obdormiuit. Dominus Deus illi largiatur latissimam resurrectionem in die iudicij.

# EPITAPHIUM

in obitum

## GERARDI MERCATORIS

Auo suo, piè ac placidè vita defuncto.

<p><b>A</b> Missum luxi qui nuper vtrumq; parentem,  <i>Heu miser ad tumulos cogor abire' nonos.</i>  <i>Sic, Aue, te venerande pium qui dogma dedisti</i>  <i>Sapius, hinc nobis te rapit atra dies?</i>  <i>Sic doctrina grauis, pietas sic prisca peribit,</i>  <i>Hæc q; sepulchralis conteget vrna simul?</i>  <i>Absit vt hæc perijisse queant quæ morte tenaci</i>  <i>Consumptos vitæ perpetis esse iubent.</i>  <i>Has liceat cineri lachrymas tamen addere Auito,</i>  <i>Nam pressus nimium, cor ferit ille dolor.</i></p>	<p><i>Thesbitæ vt quondam vatis successor, in altum</i>  <i>Quadrigris rapti dona recepit heri.</i>  <i>O vtinam doctæ mihi sic quoque portio' mentis</i>  <i>Cedat, &amp; eximia pars quotacumq; manus.</i></p> <p style="text-align: center;"><b>IOANNES MERCATOR</b></p> <p style="text-align: center;"><i>Ex primogenito nepos, hisce mærens</i>  <i>parentabat</i></p>
---	---

## EPISTOLÆ DVÆ

### Duorum doctissimorum virorum

*Doctoris Reinhardi Solenandri Illustriss. Ducis Iulie, Cluie, Montis, &c. Medici videri  
 licet, & D. Jacobi Sinstedij D. V. I. in laudem Atlantis conscriptæ.*

**S**P. Doctissime Mercator amicorum integerrime, remitto tibi meditationem tuam in sex die-  
 rum opera conscriptam, mihi mirum in modum gratam & acceptam. Nam sola illa in natura-  
 lium rerum cognitionem deducimur. Quando tua apodictica argumenta clarè & ad viuū demon-  
 strant, Cœli, Aëris, Aquarum & Terræ, prima & originalia principia: de quibus inter Ethnicos Phi-  
 losophos magna fuit dissentio. Tuis itaque rationibus probè perspectis & intellectis, non amplius  
 vanissima Aristotelis monstrosa priuatione seducemur. Memini cum illud vanum fallaxque fig-  
 mentum à Petro Ranto Parisijs impugnaretur, vnde hærefeos accusabatur: vt pote qui Aristotelica  
 fundamenta hætenus in omnibus scolis approbata niteretur conuellere. Magnam itaque tibi habi-  
 turi sunt, omnes studiosi gratiam, quod tandem verissimam principiorum & causarum cogniti-  
 onem, diuinitus imbutus in hisce extremis Mundi fecibus, nobis communicaueris. Transcriptum  
 ex tuo exemplar' misi Greuenbrochium ad Amicum meum integerrimum, Dominum Iacobum  
 Sinstedium, Iuris D. hominem doctrina, pietate & probitate insigni. Is legit & cum hoc epistolio ad  
 me remisit, ex quo vt intelligas ipsius mentem & iudicium, ipsius *αυτογραφον* ad te mitto. Ille obnixè  
 precatur (quia putat me apud te aliquid valere) vt te admoneam & adhorter, quo hoc scriptum pri-  
 ma quaque occasione omnibus bonis & doctis communices. Ego vero non hoc solum, sed magno-  
 pere flagito, vt cæteros libros quoquomodo possis, expedias, forte tergiuersando valetudinem atque  
 ætatem proferes (vt ego ætatem & negotia, plerumq; prætendo) verum mihi videtur, vt grauis ætas,  
 non solum te non excusare debeat, sed magis vt matures hos labores, stimulum addere. Vtinam, si  
 mihi liceret à meo decrepito & male sano Principe (cui solus in hoc difficili seruitio seruius) abes-  
 se, non solum valetudinis tuæ causa aliquoties ad te excurrissem, sed ea potissimum ratione te con-  
 uenirem, te vt monerè expeditumq; redderem, quo auspiciata hæc, & bene incepta absolueres: tum  
 etiam de iucundis his studijs, iucundè & amicè tecum vt conferrem; Cum in tuæ huius meditationis  
 lectio me oblecto, & veluti Cygneam cantionem tuā animo excipio, venit mihi in mentē quod  
 cum Galenus noster, vsum humani corporis partium doctè explicaret, votum quasi animo concep-  
 tum calamo omnipotenti Deo voueret. Memini enim quando sub finem 3. li. de vfu partiū explici-  
 tate fateretur, illos suos commentarios se ceu hymnos quosdam conscribere, in quo veram magis pieta-  
 tem consistere existimaret, quam si taurorum *εκατόμβας* ei plurimas sacrificaret, & casias aliq; sex-  
 centa vnguenta suffumigaret: præferbat his omnibus se ista prius scire, exponere deinde alijs quæ  
 nam sit ipsius Dei sapientia, quæ prouidentia, quæ potentia, quæ bonitas, quorum ignoratio Ethni-  
 cus ille summam impietatem iudicabat, non si à sacrificio abstineret: qua sententia haud longe mihi  
à sacro

à sacrosanctorum vatum sententijs videtur disjunctus. Mirifice delinitus sum ex Mose recognoscendo vera physices elementa & principia, quæ tu in hoc tuo scripto euentissimis demonstrationibus proponis, re veritatis cupidus lector tuis argumentis non sine ratione acquiescere possit. Mirum quam variæ & diuersæ opiniones de mundi materia apud Ethnicos scriptores passim legantur, vt videre est apud Galenum in historia philosophica: apud Laërtium in vitis Philosophorum: Plutarchum in libris quatuor de placitis Philosophorum (qui mihi physicorum dogmatum epitomæ videntur) apud Platonem etiam; tum ex Christianis apud Epiphanium in confutatione octuaginta hæresium, qui explicate res adnotarunt: vt de multis alijs nihil addam. Quæ omnia concidunt quando tu post Ideæ diuinæ descriptionem progredieris, ad primæ illius massæ secretionem, qua Lectorem in Dei Creatoris & primæ materiæ cum suis innatis formis & qualitatibus diuina eaque incredibili potentia primitus & ex nihilo creatæ, adducis. Quæ in capite tuæ huius meditationis de ligno vitæ consignasti (in quo mei honorificam facis mentionem, mihiq; plus amice tribuis quam in me agnosco) ea legi & relegi aliquoties diligenter, quando enim illa planè Philosophica & Medica sunt, mirum quantum istis afficiar. Inter cætera ostendis & bruta animantia suæ naturæ ex herbis subsidium quærere, quod Hyrundinis, Cati, Bufonis, Canis exemplis demonstras, licebit pluribus ostendere, quandoquidem ipsa natura docta plurimarum herbarum vires cognitæ mortalibus indicarunt. Etenim Ceruos credimus Dictamum herbam, quod eius pastu telum eiecissent sagittarum vulneribus mederi ostendisse: Sic Ceruas Sefeli herbam demonstrasse arbitramur: Testitudines, Cunilam, Mustelæ, Rutam, Ciconiæ, Origanum, Accipitres, Hieracium, Columbæ, Verbenacam, vt non minus hæ postremæ ab ipsis animalibus, quam Chelidonium ab Hirundine, nomina adepta sint. In Aegyptiorum hieroglyphicis Pica pingitur lauri folium ore tenens, quo designant hominem sibi ipsi medentem. Etenim Pica ægrotans, natura docta, dicitur lauri folia in nidum congregare, quo illis morbos arceat. Vt antiquitas Apollini, quem Medicinæ inuentorem, dicente etiam Nasone, constituunt, haud immerito Laurum sacram fecerint dicarintq;. Parietaria, quæ à Perdicibus Perdicium quoq; dicitur, quando Perdices in ijs locis, vbi illa copiose prouenit, vt plurimum se voluant atque oblectent: Feniculum nobilitasse credimus Serpentes: nam gustatu atque esu ipsius feniculi tam exuere, oculorumque aciem succo eius reficere scimus, vnde ipsius vsus nobis patefactus: Tut eodem in capite addis, tales plantarum species in quaque regione à Deo creari, quales hominibus, & animalibus ibidem natis, maxime conueniant. Quod viuis testis multis documentis monstrare possem. Imo tam confidenter hoc nixus comperimento, sæpe numero probaui, ex plantarum nascentium frequentia, me fere animaduertere posse, quibus morbis popularibus nimirum <sup>in vniuersis</sup> quælibet regio subiecta est. Obseruamus hoc ipsum apud Danos, Phrysijs, Hollandos, quibus Scorbutus dictus morbus frequens, istius quasi proprium medicamentum Cochleariam scilicet copiose prouenire. Ita vbi in paludosis locis Tamariscus natale solum agnoscit, plerumque Lienis ibidem vitij expositi sint incolæ, quod ex lurido colore, qui intumescente cute illis efflorescit, hypochondrijsq; inflatis videre licet. Eodem modo obseruamus, quibus in pagis circa sepes in arcis frequens Absinthium luxuriat (in iisdem habitatores naturalium viscerum obstructionibus, ventriculi infirmitate suffusione bilis plurimum affectos, vt facile nisi prædictæ herbæ vsu, viscerum meatus referantur, exterisq; bile eadem roborentur firmenturque, in Icterus primum, paulo post in aquam intercutem exorbitent. Longius progredierer, si istorum catalogum contexere velim. Quæ eodem in capite de insitione proponis, exquisita consideratione digna sunt. Nam quod obseruasti cortices stemmatum, furculorum verticibus primum & potissimum vniri, id quotidiano vsu atq; experientia comprobatur: Hinc est quod de stemmate inserendo quam tum relinquatur parum foliciti simus dummodo cortex purgatus scissusq; cortici ita aptetur, vt fibris sese contingat. Insitionis diuersi modi sunt quæ fit scisso trunco, in ea non minus obseruari debet ista corticum adæquatio, quam quæ fit, Infoliatione, quando nimirum inter truncum & corticem furculus inseritur, imo in Infoliatione (quam alij Emplastrationem vocant) id ipsum obseruandum est: Atq; hic diligenter notandum etiam si Columella statuatur, omnem furculum omni arbori inseri posse. Ego tamen communi sententiæ hoc tribuo, quod aptissima insitio perficiatur, vbi istarum arborum cortices inter se ita vniantur, vt inter furculum inserendum & truncum cui inseri debet, ista cognatio sit, vt cortices inserendi furculi & cortici stemmatis admissarij eiusdem qualitatis, quod superficiem attinet, præferat. Sed de modo & qualitate insitionis, vbi ad te venero, quod breui fiet: tum de animalibus medicis (sic enim voco animalia quæ herbarum vires natura monstrante docuerunt) conferemus exactius de ijs enim sæpe & multum cogito, quod facile intelliges, ex eo commentario quem de Climacterismo conscripsi. Nam vt ex herbarum folijs, floribus, earum scilicet tum etiam feminis figura ex trunco & stipite ex succi qualitate & id genus alijs haud difficile coniectari, sed docte licebit, quibus morbis, quarumq; partium affectibus herba quælibet conueniat. Quapropter hac vice latius non progredior, in nostrum conuentum ea dilaturus. Interea tu, vt valetudinem tuam cures, te hortor, quod eo quo præscripsi modo: haud magno negotio facies, & me vicissim ama. Raptim Dusseldorpij ex aulicis negotijs, Calendis Iulij. Anno. 1594. stilo veteri.

*Hanc egregiam  
& opere dignam  
augmentatio-  
nem hinc mutua  
atam suo loco  
differuimus.  
capite 13.*

Tuus Reinhardus Solenander Medicus.

Prudentissime humanissimeq; Solenander, Legi Doctissimi viri Gerardi Mercatoris librum de Fabrica mundi non minus verè quam doctè scriptum. Et dici non potest quantopere me istius scripti lectio affecerit. Video hæcenus tam Ethnicos quam Christianos vera physices Elementa & principia ignorasse, nihil certe iucundius, quam euidētissimis rationibus ac demonstrationibus, auidum Lectorem & veritatis cupidum, in Dei Creatoris, & primæ materiæ, cum suis innatis formis & qualitatibus, Diuina potentia primitus & ex nihilo creatæ, penitiorē cognitionem adduci. Pulchre igitur post Ideæ diuinæ descriptionem progreditur ad primæ illius massæ & materiæ secretionem demonstrandam. Nam ostendit flatu & vehemētiore vento aqueam & limosam illam materiam secretam fuisse, ita vt grauiā ad centrum in vacuo constitutum vltro declinarent: Nimirū terram etiam dum fluxilem, punctum siue centrum spherica figura, per equilibrium circumdedit, & ventorum flatibus in siccitatem & duritiem paulatim fuisse redactam. Deniq; ex illa commotione aqueæ materiæ, subtiliores humores in aërem conuerti & formari cæperunt; & deinceps ex aëre ætherea regio cum cœlestibus spheris & stellis adornari cœpit, ita vt aquas illas supra cœlestes & Empyrium cœlum constituentes, lucidissimas faciat & angelos ex ijs creatos esse statuat. Hæc omnia sunt Dei Verbo & rationi minime dissentanea Licet Aristoteles octauo *φυσικῆς ἀκροῦσιως* mundum contendat æternum esse, Quem Picus, Comes Mirandulanus, & Paulus à Schala, & Palingenius in Zodiaco pro viribus tuentur. Sed prestat Dei verbo adherere, quam incertis opinionibus fluctuare, Non posset sane quicquam iucundius suauiusq; dici, quam cœlos, angelos & stellas, aërē, aquas & terram, & quicquid in ijs continetur, ad solius hominis vsū esse creata vt ei inseruiant. Quum istorum omnium origo ex vna eademq; massa desumpta fuerit, ex qua & homo, sequitur cœlorum, Angelorum & omnium rerum creatarum magnam cognationem affectionem & amorem inter se, & erga hominem esse. Ego certè dicam libere quid mihi inter legendum acciderit, magno desiderio & ardore inflammari cæpi, erga omnes res à Deo conditas (solis diabolis exceptis) vt pote mihi cognatas & ab optimo Deo in meos vsus creatas, Hinc permoueor ad gratitudinem Deo assiduè præstandam, quæ augetur & perficitur Christi cognitione. Illud certe solertis & sagacis ingenij iudiciū est, quod ex aquarum à terra separatione & mediæ terræ cavitatibus inclusarum, idq; vndiq; ex æquilibrio, ne centrum ponderis in æqualitate grauetur; inde concludit & probat alteram terræ partem infra nostrum horizontem ex aquis eminentem, nostræ Europæ, Africae & Asiæ correspondere. Quanta prudentia differit de characteris herbarum, in quo loco & tui honorificam mentionem facit. In summa agnosco illum doctissimum esse virum, & omnium Illustrissimorum Principum fauore & amore dignissimum. In vltimis duobus capitibus verum Theologum agit de originis peccato disputans; atqui non singulis theologis per omnia satisfaciēt. Statuit enim animā ex traduce propagari, & non diuinitus infundi in recens creati pueruli corpus. De qua re Augustinus & Hieronymus, prolixissimis & elegantissimis epistolis disseruerunt: sed Augustinis in nostri authoris sententiam magis inclināt. In hebreorum quorundam vocabulorum ethymis explicandis Eugibinum sequens, non nihil videtur à vero aberrare. Nam terræ nomen Eretz, quod nomen & Germani ab Adamo retinuerunt Erdt, non à Razar, quod conculcare significat, sed à Raza, quod appetere & velle significat, eo quod terra desideret & appetat herbas & fruges, aliasq; res sibi à Deo mandatas proferre. Sed de his plura maiore otio. Amanter rogo vt Doctissimum virum ad editionem maturandam horteris. Profecto physica ars manca erit, sine huius auctoris accessione. Vale.

Tui amantissimus

Iacobus Sinstedius. D.

## IN ATLANTEM Gerardi Mercatoris Aui sui.

**E**Ntibi lector adest Atlas rediuius & ingens  
Aspice grandæui signa vetusta senis.  
Gentis Maurorum rex seruantissimus aqvi,  
Atq; Mathematica clarus ab arte fuit.  
Seu genus antiquum seu robur & ardua spectes  
Facta viri similem tempora nulla dabunt.  
Ex hoc tot reges geniti virtute potentes,  
Crederet vt veros turba prophana deos.  
Hic ille, vt perhibent, stellis ardentibus aptum  
Axem humero tor sit qui geminumq; polum.  
Dicitur Alcides onus hoc subisse, quod Atlas  
Artibus ingenuis instituisset eum.  
Et quia summorum virtus imitanda virorum est,  
Hunc Auus exemplo credidit esse sibi.  
Ille feras gentes domuit, moderamine noſter  
Affectus æquo rexit & ingenium.  
Atlantem fecit præclarum docta Mathesis,  
At Mercatoris Marte Mathesis adest.  
Qui bene Cosmographi persunctus munere iusti,  
Et reliquis tutam præstruit arte viam.

Et simul his methodum præscribit & ordine ponit  
Qua sub mensuram singula quæq; cadunt.  
Qui quoq; cunctarum referens primordia rerum,  
His adhibet quam dant Biblia sacra fidem.  
Ordine seruato, commonſtrat singula, laus est  
Prima Creatoris, deinde creata locat.  
Astrorum voluit posthac ostendere motus,  
Et Planetarum quo vaga turba ruat.  
Quin etiam voluit stellarum pandere vires,  
Quatenus & radijs inferiora doment.  
Hinc Elementorum voluit perquirere causas,  
Ex quibus hac mundi machina structa viget.  
Adde Geographia veterisq; nouaq; tabellas,  
Quas vastum voluit claudere scriptor opus.  
Sed grauis impedit morbus, simul ipsa senectus,  
Et mors postremum multa negauit ei.  
Quod potuit scit, commendat cætera doctis,  
Ut patria & summa consuluisse velint.

Iohannes Mercator scripsit.